

Animatūr ergō vesicatoriorum virtus ita, ut eadem calor no-
ster naturalis blandē prius inebriet calore suō, à quō Olia cor-
rosiva & acria in sinu quasi foventur, usque dūm excitata incalē-
scant, potentiamquē urendi in actum deducant. Vesicant autem
hōc modō vivam carnem; non cadavera, in quibus neque calefa-
cientia calefaciendo, neque vesicantia vesicando aliquid præstare
queunt, juxta *Helmontium tract. morbus ignotus hospes; inscriptō, t. 76.*
cūm calor naturalis amborum causa existat efficiens. Eadem ferē
repetit *idem tract. de lithiasi cap. 9. t. 103.* & hujus actus differentiam
animæ nostræ sensitivæ adscribit, quam efficienter effectivam vesicæ
causam salutat; vesicantia verò, *flammula, cantharides, apiam* &c.
quæ in cadavere aliàs nihil operantur, causam occasionalem & ex-
ternam.

Disquirendum jam venit: *an solō calore, an solâ tractione ge-
nerentur vesicæ?* Respondemus, utriusque hīc necessarium esse sym-
bolum. Ustio disponit, attractio perficit. Calorem urentem quod
spectat, eō ipsō cutem attenuari, carnemquē subjacentem aliquo-
modō colliquari, verosimile est; hinc humores attenuati & rarefa-
cti ad colliquatam carnem tendere incipiunt; attractione autem
iīdem ad externas partes deducuntur, qui, dūm exitum non inve-
niunt, inter cuticulam & cutem colliguntur, vesicamquē generant,
humoribus talibus refertam. Ustio itaque sese habet ut antecedens;
attractio verò ut consequens. Quòd autem attractio sequatur u-
stionem, illi testantur, quorum pars cutanea igne actuali inopina-
tō læditur. Calorem primò sentiunt, urentem externas partes, de-
indē penetrantem ad intimiora, à quō tandem & brevi quidem
temporis intervallō vesicæ in parte ambustâ generantur, humori-
bus colliquatis & rarefactis, eò attractis, adimpletæ.

Exemplum hujus rei præbet etiam labor rusticus cum ligo-
ne, securi vel tribulō, qui non adsuetis manibus vesicas generat;
cūm nempe motu nimio vel continuâ in volâ manus versatione ca-
lorem excitat notabilem, quō cutis incallescere, humidum in subje-
ctis partibus fundi, attenuari, & ad externas partes trahi potest,
ibidemquē colligi. Nam calidum perpetuò attrahit, & quod cum
caliditate conjunctam habet partium tenuitatem, trahit vehemen-
tius.